

ꝛ. Non potest excusari a peccato mortali, quamprimum excedit limites simplicis conjecturæ. Deus solus novit eventus ejusmodi. *S. Thomas 2. 2. q. 95. art. 1. C.*

NOTA. EX inspectione syderum ne quidem conjecturaliter quidpiam potest prædici quoad inclinationes hominum.

ATTENTIO.

Attentio generaliter loquendo est *voluntaria animi applicatio ad id, quod agitur*. Quadruplex communiter distinguitur Attentio, scilicet actualis, virtualis, habitualis & interpretativa. *Actualis* est præsens animi applicatio ad opus, quod agitur. *Virtualis* est animi ad opus applicatio remanens in virtute attentionis actualis præteritæ, & in inchoatione operis habitæ, interea autem nec revocatæ nec voluntarie interruptæ. *Habitualis* est dispositio ad habendam Attentionem orta ex frequentatione actuum Attentionis actualis, ita ut, si actu de ea cogitatum fuisset, necessaria Attentio certe omissa non fuisset. *Interpretativa* denique est applicatio animi ad opus non in se, sed in alio tanquam continente, vel causa vel effectu.

CASUS I. Claudius Beneficiatus recitans Breviarium tantum habet simplicem Attentionem ad exactam pronuntiationem verborum absque ulla applicatione ad sensum.

ꝛ. Sola Attentio ad verba non eximit Claudium a peccato juxta D. Thomam, qui triplicem distinguit Attentionem: prima est, qua attenditur ad verba, ut distincte proferantur, & nec unicum omittatur: secunda est, qua attenditur ad verba simul & ad sensum verborum: tertia denique est, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad id, quod petitur a Deo. Prima Attentio non sufficit; hinc adjungenda saltem secunda: tertia vero est perfectissima, ut ait idem S. Doctor in 4. dist. 15. q. 4. a 2. quæstionum. 5. C. Notandum tamen, attentionem ad sensum verborum multis junioribus Clericis ac Religiosis haud esse possibilem, & hinc sufficere attentionem generalem ad Deum. *Pontas.*

CASUS II. Alexius Beneficiatus inchoans recitationem Breviarii format quidem intentionem actualem laudandi Deum, ac per preces istas pro necessariis gratis ac beneficiis implorandi; sed in decursu orationis mens ejus distractionibus abripitur per notabile tempus, ac in eo statu nec ullam ad Deum, nec ad pronuntiationem verborum attentionem habet.

ꝛ. Si

ꝛ. Si hæc distractiones interveniunt Alexio contra suam voluntatem, & sine ullo consensu, non impediunt, quo minus digne ac meritorie divinum persolvat officium; nec proin tenetur repetere, quæ sub his animi evagationibus recitavit. At si distractiones essent voluntariæ, posset peccari mortaliter juxta D. Thomam, si eæ durarent per partem notabilem Officii. *Pontas.*

NOTA. Author abstrahit ab obligatione repetendi circa voluntarie distractos. Censeo ab Ecclesia etiam voluntarie distractos, etsi graviter peccent, non obligari ad repetitionem; idque ob multitudinem eorum, qui, ubi negligenter distractionibus resistunt, timent de negligentia gravi, ac proin de distractione voluntaria.

Vide *Officium Breviarii.*

AVARITIA.

Avaritia est *inordinatus amor bonorum terrenorum, &c.*, quod inde sequitur, *nimia ea servandi sollicitudo*. Vitium hoc, quod inter septem capitalia numeratur, est ex genere suo mortale, & quidem semper, quando adversatur justitiæ in materia gravi; imo etiam, etsi non adversetur justitiæ, dum amor excessivus bonorum terrenorum eo adigit hominem, ut ea magis amet quam Deum & proximum. Et hinc a Christiano genuino quam remotissimum sit omne genus Avaritiæ. Juxta S. Thomam septem filias numerat Avaritiæ, quæ sunt *proditio, fraus, fallacia, perjuria, iniquitudo, violentia, & contra misericordiam obduratio*. S. Ildorus his addit *furtum, mendacium, & falsum testimonium*.

CASUS I. Gratianus sufficientibus, ut honeste ac statui suo congruenter vivat, bonis affluens plura tamen adhuc appetit, & quidem vehementi cum passione, cui ut satisfaciat, nihil non molitur, ac varias aggreditur artes, justitiæ tamen non adversantes.

ꝛ. Si tanta Gratiano est cupiditas augendæ rei suæ, ut non vereatur violare præceptum charitatis practicæ erga Deum, Ecclesiam, Rempublicam, Superiores, æquales, subditos, egenos &c. dummodo possit cumulare bona sua, haud dubie peccat mortaliter: non enim est minor obligatio servandi præceptum charitatis, quam justitiæ. *Pontas.*

CASUS II. Philumenes ditissimus non fovet in præsens inordinatum desiderium cumulandi ampliores divitias, possidet tamen magno complacentiæ affectu & extraordinaria cum tenacitate summam 60000; florenorum numeratæ pecuniæ.

G 5

cuniæ, quam intactam esse cupit, cum pro suis ac familiæ necessitatibus sufficiant reditus ordinarii. Securitatem conscientię spondet sibi ex his rationibus. 1. Quia habet liberos, & fors cum tempore habiturus plures. 2. Quia prudentis ac providi est præmunire se adversus varios casus fortunæ ac vitæ v. g. diurnas ægrotudines, incendia, inundationes, bella &c. 3. Quia nihilominus erogat consuetas elemosynas in pauperes.

3. Cum Avaritia non solum consistat in desiderio inordinato semper coacervandi ampliora bona, sed etiam in deordinato affectu erga bona jam possessa, nil est, per quod Philumenes amoliat a se vitium Avaritiæ, & culpam gravissimam coram Deo. Rationes, quibus suam palliare nititur tenacitatem, sunt insufficientes, nec eum eximunt ab obligatione abundantius succurrendi pauperibus. Aliud fors dicendum, si cogitaret liberos suos in matrimonia elocare, ad quæ amplissima dos requireretur intuitu subeundæ conditionis. *Pontas.*

AUGURIUM.

Per Augurium intelligitur divinatio ex cantu vel clamore avium. Hæc Divinatio, siue interveniat pactum expressum siue tacitum cum dæmone, est semper peccatum mortale ab Ecclesia anathemate confixum. Possunt tamen ex cantu avium absque omni superstitione prædici effectus naturales v. g. bona vel mala tempestas, id quod nautæ sciunt, haud facile in suis prædictionibus decepti.

Vide *Superstitio* Caf. 6.

B.

BAPTISMUS.

1. Baptismus est primum Ecclesiæ sacramentum, *sacramentum fidei & janua sacramentorum*, per quod remittitur peccatum originale in parvulis; in adultis vero etiam omnia peccata actualia tam quoad culpam quam quoad poenam.

2. Theologi triplicem distinguunt Baptismum; *fluminis* scilicet, qui in aqua confertur; *flaminis*, qui consistit in sincere ad Deum conversione cordis & vero proposito recipiendi sacramentum; & *sanguinis*, qui in martyrio consistit. Ex his tribus primus solus est verum sacramentum; nihilominus

us etiam reliqui duo operantur (saltem quoad remissionem culpæ) eandem gratiam, quam operatur ipsum sacramentum.

3. Baptismum instituit Christus, sicut & reliqua Sacramenta: verum quo tempore instituerit, disputant inter se Theologi.

4. Materia hujus sacramenti est aqua naturalis & elementaris, cui immergitur infans, vel quæ funditur super caput ejus; & absolute non potest adhiberi alius liquor. Forma in his verbis posita est: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Omnis alia forma adhibetur invalide, (si sit substantialiter diversa).

5. Ordinarius hujus sacramenti minister est Sacerdos. Verum in casu necessitatis quilibet homo, christianus, Judæus, infidelis & paganus, vir & foemina valide baptizat, dummodo in administratione hujus sacramenti habeat intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia.

6. Baptismus in eadem persona reiterari non potest, quin gravissimum peccatum committatur, & irregularitas incurritur. Verum hoc solum intelligendum de iis, qui scientes Baptismum jam valide fuisse collatum, eundem sub forma absoluta denuo conferunt: illi enim, qui prudenter dubitant de collatione Baptismi aut de valore ejusdem, & sub hac conditione rebaptizant: *si non es baptizatus*, non incurunt irregularitatem.

7. Sacramentum istud præter characterem Christiani producit etiam gratiam habitualementem & sanctificantem.

8. Non alibi quam in Ecclesia, excepto urgentis necessitatis casu, aut de expressa Episcopi sui facultate Baptismum conferre potest Parochus, aut quivis alius sacerdos; neque absque præscriptis in Rituali caeremoniis, nisi idem concedat Episcopus, aut infanti præsens immineat mortis periculum, quo in casu, si infans evadat, & ulterius vitam protrahat, omiffæ caeremoniæ suppleri debent. Inter has caeremonias est etiam hæc, ut illi, qui baptizatur, detur Patrinus; ad quod munus non admittuntur Religiosi, infideles, hæretici, excommunicati denunciati, & peccatores publici.

9. Validus est Baptismus, siue conferatur per *immersionem*, siue per *infusionem*, siue per *asperersionem*. Immersio antiquitus fuit in usu tam in Ecclesia Latina quam Græca; imo & hodieum est in usu in quibusdam Ecclesiis particularibus, ut in Mediolanensi, Quod Apostoli, qui unico die personarum